



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata, Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus, Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiae forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. X. De contumacia citati non comparentis; Et de processu contumaciali, qui in Curia dicitur per contradictas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

debet continere diem certam, in qua sententia proferri debet, adeo ut lata post terminum invalida sit; Nisi contumacia citati, vel stylus aliter suadeat, ut in sententia, ac nullitatis sedibus advertitur, infra in discursu particulari de sententia, & in alio de nullitate.

Die feriatia citatio fieri seu exequi juxta unam sententiam non potest, licet non desint contrarium tenentes, ideoque locorum stylus & praxi deterrendum est, Sed si citatus die feriatia compareret, nullitatem allegare non potest, ex eadem superius assignata ratione, quod omnis citationis defectus per comparitionem sanatur, *Vestr. & add. lib. 4. cap. 3. Rovit. prag. 1. de citat. Rot. in Auximana fideicommissi 24. Martii 1662. coram Albergato.*

Peremptorium de jure necessarium videtur, ut citatio contineatur; In Curia verò de stylo non requiritur, Multò verò magis in causis beneficialibus, & summaris, in quibus etiam de iure id non est necessarium, *Vestr. & add. lib. 4. cap. 2. num. 7. & 12. cum seqq.*

Ad totam causam, an unica citatio fieri possit, ac sufficiat de jure, est sub questione, sed in Curia de stylo sufficit, ac substat, *Vestr. & add. lib. 4. cap. 4. Rot. decis. 291. par. 10. rec. & infra disc. seq.*

Per simplicem comparitionem, ac jurium exhibitionem non circumducitur citatio, nisi jura per judicem admittantur, *Aff. decis. 115. Burat. & add. decis. 727. Royas decis. 482.*

Lapsus verò termini, circumductionem non producit in Rotam, in qua licita est reproductio infra annum, sive ubi agatur de citatione generali ad totam causam, regulariter autem lapsus termini circumductionem producit, *decis. 7. par. 7. rec. Melavitana hereditatis 26. Januarii 1637. coram Panziolo.*

Facta ex errore contra unum habitantem in eadem domo, in qua alter inhabitet, substat, si constet ita citationem deventisse ad notitiam ejus, qui citandus erat, cum iste sit finis citationis, *Rot. decis. 112. & 202. par. 10. rec.*

Si verò facta sit contra illum, qui duplicem gerat personam, nulla expressa, ut afficiat eo modo quo afficere debet secus, aut si persona non exprimat, *Ottob. decis. 103. & 237. decis. 40. par. 11. rec.*

De contumacia citati non comparentis;
Et de processu contumaciali, qui in
Curia dicitur per contradictas.

S V M M A R I V M.

- 1 Citatus qui non comparet reputatur contumax, & contra eum proceditur ad ulteriora in causa.
- 2 De stylo Curia processus per contradictas.
- 3 Ad quid iste processus fiat.
- 4 De requisitis processus contumacialis, vel per contradictas.
- 5 An citati de tempore incongruo ob aeris insalubritatem teneantur comparere.
- 6 Citatio debet esse legitima, & praesertim tempore non seriato.
- 7 Debet esse personalis, ut sit certa.
- 8 An ei sit locus, mortuo, vel se absentante procuratore jam deputato.
- 9 Quando etiam sine citatione personali id procedat.
- 10 An praestetur contra universitates, & corpora fidei.

11 Quid si actor sciat, quod citatus habeat in Curia procuratorem si iste non compareat, & non exhibeat mandatum in actis.

12 Etiam si in Curia procedatur per contradictas, argumen in actibus non faciendis in partibus, in quibus est principalis, sic debet citari.

13 Quando contumax audiatur, vel respectivè denegatur audientia.

14 An, & quando contumacia debeat accusari.

15 An, & quomodo admittatur ad appellandum.

16 In odiosis habetur pro praesente, ac etiam pro confesso, ut in deterius.

17 An possit multari, & quando.

18 De quo tempore accusetur contumacia.

19 Non efficitur contumax, qui non potest comparere.

20 Minusque ille qui non tenetur.

D I S C. X.

Sequitur citationis legitima exequutione de mandato judicis competentis, ejusque legitima productione, in tempore pariter legitimo, aliisque concurrentibus, de quibus disc. precedenti, Si citatus statuto termino non compareat, adeo ut incurrat contumaciam, tunc de juris rigore ad ulteriorem processum in contumaciam procedi potest, absque necessitate replicandi alias citationes; Potissimè verò ubi prima citatio sit ad totam causam, juxta stylum hodiè penè ubique vigentem, cum monitione ad deputandum legitimum procuratorem in loco reperibilem, & cum comminatione, quod alias ad ulteriora procedetur, usque ad iudicii terminationem, & exequutionem, adeo ut aliae citationes, etiam per contradictas sint ex urbanitate, atque ad superabundantiam.

Super hoc tamen contumaciali processu, diversa est regionum, seu Tribunalium praxis, adeo ut certa regula generalis de super statui non valeat, unde propterea me restringendo (ut decet) ad praxim Curiae Romanae, cum relatione in reliquis ad singularum aliarum Ditionum practicos; Quamvis, [ut dictum est] de rigore juris, alia citatio contra contumacem, cum praesupposito legitime contumaciae, non requiratur; Adhuc tamen ex quadam urbanitate, in singulis actibus repetuntur citationes in ipsa Curia, in illa Audientia, quae dicitur Contradictarum, quae habet particularem Auditorem cum ejus Notario, unde propterea vulgo dicitur, iudicium, seu causo per contradictas, quod idem est ac in contumaciam, de his & aliis ad hanc materiam processus per contradictas Gregor. & adden. dec. 110. & 430. Burat. & add. decis. 943. decis. 104. par. 6. rec. in Civitatis plebis Cappellania 4. Decembris 1663. 5. Februarii 1664. & 9. Decembris 1665. coram Taya & sepius,

Licet enim, spectato effectu, quoad absentem, ac verè non comparentem, iste processus per contradictas quamdam ceremoniam, seu formalitatem importet; adhuc tamen idem absens, & contumax conquiri non potest, dum ita cum eo quaedam qualis illa sit, adhibetur exuberans urbanitas, saltem in potentia, quae potius proficua est quam damnosa, dum de juris rigore absque hujusmodi repetitione citationum & terminorum, ad ulteriora procedi potest, *ibidem ut supra.*

Hujus autem iudicii, seu processus per contradictas, fundamentum, sive essentiale requisitum, est exequutio legitima; & personalis prima citationis generalis ad totam causam, per quam citatus sciat, ac certificetur, quod non comparendo, tanquam con-

contumax, ad ea, quæ in monitorio seu citatione continentur, per Judicem, quem sciat, vel scire debeat competentem, condemnari potest, quoniam cum ista contumacia grave redoleat præjudicium, hinc sequitur, ut ea verè dari non possit sine scientia certa, & specifica, non autem præsumpta, ex recepta regula, quod in graviter præjudicialibus certa scientia necessaria est; ideoque plura copulativè requiruntur pro isto processu per contradictas ut validum sit; Primo scilicet notitia competentie Judicis citantis, quæ in ordinario, vel in eo delegato ad universitatem, qui loco ordinarii habendus est, notoria reputatur; Undè propterea, ut superius in Judicis sede advertitur, *supra disc. 3.* Quando agitur de delegato particulari, citandus certiorari debet de ejus delegatione, inserto ejus tenore, ac aliàs non afficit; Secundo generaliter, ut citatio sit, ad totam causam cum monitione, seu comminatione ut supra; Tertio ut eadem citatio exprimat qualitatem iudicii ac bona vel jura, super quibus illud instituitur, ut sciat, ad quid non comparendo, neque se defendendo, condemnari potest.

Quarto, ut citatio contineat terminum competentem, quoniam (ut agendo de ipsa citatione advertitur, *disc. precedentis*) si contineat terminum nimium brevem, & incompetentem, intrà quem, per se ipsum, vel per procuratorem, coram Judice citante, comparere non possit, tunc contumax reputari non potest; etiam post lapsum illum terminum, qui competens esset, dum ita præceptum impossibile rectè sperni potest.

Quinto, ut contineat locum, ad quem citatus pateat accessus; Bene verum quod in civilibus, istud requisitum non videtur adeò considerabile, dum comparere potest per procuratorem, qui de facili deputari potest per absentem per litteras.

Idemque congruit alteri requisito, quod in aliquibus regionibus, vel Tribunalibus desideratur in criminalibus, in quibus comparitio debeat esse personalis, & non per procuratorem, ut scilicet fiat tempore congruo, ob aeris insalubritatem, quam præsertim aliqua Italia partes pati solent in aliquibus anni temporibus; Undè propterea in Regno Neapolitano receptum habetur, quod citati de mensibus Julij, & Augusti, comparere non tenentur; *Bar. ad Clar. s. fin. quest. 34. num. 31. Sansever. dec. 31. num. 1.* Quod tamen pro diversa causarum qualitate recipi solet, ideoque illis Practicis, & aliis aliorum Tribunalium, vel regionem, juxta varios stylos, est deferendum.

Denique requiritur, ut citatio fiat legitime, id est personaliter, quando ex culpa citandi id non impediatur, ac etiam congruo tempore, id est non feriato; Quando stylus, vel alia circumstantia non concedant, ut etiam tempore feriato fieri possit; Licet enim in plerisque locis vel Tribunalibus, de stylo receptum sit, ut etiam primæ citationes fiant domi, vel in manibus domesticorum; Attamen id rectè procedit, ad effectum validitatis processus, & actorum, cum præsupposito, ut in singulis actibus citationes repetantur tanquam contra præsentem, & comparentem, pariter in domo habitacionis, vel in manibus domesticorum cum tunc, ob tot citationes, quæ in singulis actibus reiterari solent, improbable sit, quod citatus notitiam non habuerit; Secus autem ad effectum hujus iudicii per contradictas, pro quo requiritur contumacia vera, cuius præcipuum requisitum consistit in scientia certa *Vestr. & add. lib. 7. cap. 3. Burat. dec. 17. Gregor. & add. & ali. de quibus supra.*

Hinc probabiliter dubitari consuevit, an istud iudicium per contradictas practibile sit, mortuus vel se absentante procuratore, qui per citatum jam deputatus fuerit, quasi quod contumax reputari non debeat ille, qui jam comparuit, atque procuratorem deputavit, dum ita versari potuit in bona fide, quod defensorem haberet, undè propterea, æquum videtur, ut isto casu contingente, de illo moneri debeat.

Quamvis autem id magnam habeat probabilitatem; Attamen de stylo Curia, contrarium receptum est, ut scilicet prævia citatione per diligencias procuratoris, qui non reperitur, hoc iudicium per contradictas rectè fieri, ac perfici valeat; *Apud Otthob. dec. 145. apud Celf. dec. 128.* Idemque in aliis casibus recensitis in proximè præcedenti citationis Rubrica, in quibus prima citatio sufficiat per diligencias, vel per edicta rationè latitacionis, aut non tuti accessus, vel alterius impedimenti, cum ita in impediendo præsupponenda sit scientia; Sed ubi ita fiat, aut qua sufficiat citatio per diligencias, ut contingit in obligatis in Urbe, citationes in singulis actibus non sunt de urbanitate, sed de obligatione, alias processus corrumpit; *Rot. in Romana census 21. Maij, & 10. Decemb. 1627. coram Ubaldo.*

Iste autem processus contumacialis, præsupposita legitima citatione, ut supra, practicabilis est, non solum contra personas singulares, sed etiam contra corpora universalia, vel ficta, puta communitates & Capitula, vel Monasteria &c. quamvis antiquiori tempore, de hoc dubitatum fuerit, atque apud exteros adhuc sit in controversia; *dec. 181. par. 10. rec. in contrar. Rovit. prag. 3. de ord. iudic. num. 3.*

Est bene verum, quod licet de rigore attendatur singularum causarum processus, adeo ut nisi in illis actibus citationis ipse citatus, vel ejus procurator compareat, per contradictas procedi valeat, cum non teneatur altera pars inquirere, an citatus habeat in Curia procuratorem; Attamen si id alteri parti innotescere, constet, adeo ut aliqua malitia, vel affectatio desuper dignoscatur, tunc istud iudicium per contradictas non solet sustineri, ideoque pluries practicavi, quod Signatura Iustitiæ illud circumscriptis cum omnibus inde sequentibus; *Rot. in Amerina domus 4. Martij 1619. coram Pamphilo, & sæpè vidi practicum a Signatura Iustitiæ.* Id autem certam non habet regulam, cum ex facti qualitate, & singulorum casuum circumstantiis pendeat; Ideoque cautela est, ut ille qui iudicetur esse procurator, citeatur ad docendum de mandato in actibus, eoque non docente in termino, rectè proceditur in contumaciam.

Provis licet hoc iudicium, benè in Curia servatum sit; Attamen si agatur de aliquo actu explicando in partibus, in quibus existat principalis, contra quem in contumaciam in Curia proceditur (ut in processu remissoriali, vel compulsoriali practicari solet,) tunc ipse principalis est citandus, neque ibi excusetur contumacia contracta in Curia, *add. ad Gregor. dicta dec. 110. & 430.*

Inter contumacia autem effectus, ille recensetur, quod ei audientia denegatur, etiam in aliis causis inter easdem tamen personas, non autem inter diversas; *Franch. dec. 275. ibique adden. ubi concordantes.* Non tamen arctatur Judex ad hanc denegationem, quoniam id in eius arbitrio est repositum, atque ex causa potest ei audientiam concedere *Franch. ibid.*

In Curia verò quoties agitur in civilibus auditur

auditur contumax in statu, & terminis, refectis tamen expensis factis per alteram partem, quod etiam de iure communi statutum est, *Menoch. de arbitrar. quest. 36. Thef. dec. 9. add. ad Vestr. lib. 4. cap. 4. num. 20.*

Ad constituendum autem in contumacia, de iure illa in termino debet incusari. *Rovit. prag. 6. de citatione & prag. 3. de ord. iudic. Sed in Curia potest semper accusari, etiam post lapsum terminum ad comparandum, Pret. decis. 162. lib. 3.*

Regulariter contumax non admittitur ad appellandum, de iuris rigore, sed de æquitate canonica, quæ in Curia est recepta, appellat, ubi sit contumax verus infra decem dies à die latæ sententiæ, & ubi sit fictus à die scientiæ numerandos, *Buratt. & add. decis. 59. & 122. Ridolphin. in prax. par. 1. cap. 13. ex num. 124.*

Reputatur præfens in eius odiosis, & præiudicialibus, pluribusque aliis subiacet penis, quas usque ad numerum viginti quatuor practici enumerant; *Vestr. & add. lib. 3. cap. 2. Marant. in prax. verbo contumacia par. 6. Et præsertim habetur pro confessio, ut in deterius, Rovit. prag. 6. de ord. iud. num. 6. Capp. Latr. consult. 136. n. 3. & infra disc. 29.*

Potest multari, quamvis non impediretur processus ad ulteriora, reiectâ opinione volentium, ut catenus multæ sit locus, quatenus dictus processus impediretur, quoniam adhuc ob iudicis contemptum, iste multam demandare potest, de his apud *Seraphin. decis. 965. & 972. add. ad Buratt. decis. 710. ubi concordantes.*

Non dicitur contumax ante ultimam horam totius diei terminis, in qua debet expectari *decis. 199. par. 5. rec. Licet in hoc Tribunalium stylis deferendum videatur.*

Cum autem contumacia in iudicis contemptu consistat, hinc non debet reputari contumax, qui ex aliquo iusto, non autem affectato impedimento comparere non potest. *Buratt. & add. decis. 725. & 88. de Marin. resol. 44. lib. 1.*

Minusque ille, qui citanti tanquam incompetenti parere non tenetur; *add. ad Buratt. decis. 88. Martin. Andr. decis. 87. cum aliis disc. 3. & 9.*

De compromisso, quando peti valeat, atque ex ejus causa forus declinari; Et de aliis, quæ ad hanc materiam compromissi, & laudi, ac arbitri pertinent.

S V M M A R I V M.

- 1 **O**bjici solet de exceptionibus dilatorii præsertim de illa incompetentiæ fori.
- 2 De exceptione compromissi ex statuto Urbis cum quibus personis, vel in quibus Tribunalibus procedat.
- 3 De compromisso in vim Regiæ pragmaticæ in Regno Neapolitano, & quando peti valeat.
- 4 Quare in Curia raro sint controversiæ in hac materia.
- 5 De eodem, & quando agi contingat.
- 6 Quod nulla detur cautela evitandi petitionem reductionis ad arbitrium.
- 7 In impediat exequutio, & cum quibus regulis in materia procedatur.
- 8 Compromissum voluntarium quas exigit solemnitates in iis qui alienare, vel alias disponere sint prohibiti.

9 De declinatione fori ratione compromissi necessari.

10 Quid in casu mixto ratione connexionis cum causa pendente coram Iudice Ordinario non declinabili.

11 Quod compromissa perniciosos effectus potius producant.

12 De praxi qua per electos in arbitros teneri debet.

13 Commendatur stylus Curialium Urbis.

14 Non est in usu trigesima, & qua sit merces arbitri.

15 De causis privilegiatis, in quibus non intret compromissum necessarium.

16 De eodem de quo num. 4. & 5.

17 Laudum debet justificari ex actis.

18 Non potest proferri ultra compromissa.

19 Debet terminare omnes controversias.

20 De necessitate citationis, aliorumque actorum in tela judiciali.

21 An religiosi esse possint arbitri.

22 Ad quem appelletur à laudo arbitri ecclesiastici.

23 Curia Romana distinguit professiones, & non solent fieri compromissa in Religiosis.

24 Cause ecclesiastica non compromittuntur in secularibus.

25 An laudum possit dividi, & exequi in parte.

26 An compromissum per juramentum fiat irrevocabile.

27 Post causam finitam per sententiam, fieri non potest.

28 An sit pluries reiterandum, si semel factum exoptet.

29 Non complectitur rem indicatam.

30 Quando dicatur arbitri vel arbitrator.

31 Quando expiret per mortem.

32 An laudum nullum, sed emologatum assiciat, & de emologatione.

33 Regulariter non habet viam executivam.

34 In laudo procedunt ea, quæ in sententiis.

35 Procedit compromissum pari passu cum transactione.

DISC. XI.

Comparente illo, qui ad iudicium evocatus est, mediante citatione legitime exequuta, priusquam deveniatur ad ea, quæ ulteriorem processum, in ordinariis, vel decisorii concernunt, & quæ alicubi sub nomine exceptionum peremptoriarum explicari solent, de exceptionibus dilatorii, quandoque objicitur; Præsertim verò super declinatoria fori vel iudicis, ratione competentis, vel recusationis, aut litis pendentiæ, coram alio Iudice; Verum de his actum est superius occasione agendi de iudice, ubi an & quando ille Iudex, qui cum ejus citatione ad iudicium evocavit, incompetens, vel recusabilis esse dicatur, *supra disc. 3.*

Data verò competentia; In plerisque partibus datur quoque eiusdem fori, vel iudicis declinatio, per exceptionem compromissi, quod ex locorum legibus particularibus inter conjunctos intra certum gradum, sive inter alias personas certam qualitatem habentes præcipiatur, ut in Urbe, ejusque districtu dispositum est per Statutum, quod tanquam laicale, ac attendendum in foro Capitulino aliisque inferioribus & subordinatis Tribunalibus & curiis secularibus, locum non habet cum ecclesiasticis, minusque in aliis Urbis Tribunalibus utriusque fori mixturam, sive utriusque gladii exercitium habentibus, ut (ex. gr.) sunt Tribunalia Rotæ,